

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

De

THE RIACA COELESTI,

Quam

DEO T.O.T.M. AD SPIRANTE

CONSENSU GRATIOSISSIMÆ FACULTAT. MEDICÆ

IN

PERANTIQUA ACADEMIA VITEBERGENSI ELECTORALI

SUB PRÆSIDIO

DN. D. GEORGII FRANCI,

Aliquot S. R. I. DNN. ELECTORR. & PRINCIPP.

Consiliarii & Archiatri Splendidissimi, C. P. Cæsar. Pathol.

Prof. Publ. longè Celeberrimi, Acad. Leopold. Imper. Adjuncti,

d. Argi, ac Itali. Recup. Collegæ Gravissimi, &c.

h. t. DECANI Spectabilissimi,

Dn. Promotoris sui sempiternâ observantiâ

plurimum colendi,

PRO

HONORIBUS SUMMIS IN ARTE MEDICA


IMPETRANDIS,

H. L. Q. S. AD DIEM XII. JAN. MDC XCI.

Eruditorum Examini exponit

JOH. DIETERICUS HOFFSTADIUS,

DYSSELDORPIENSIS.




WITTENBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKLLI, Acad. Typogr.

ILLUSTRISSIMO AC CELSISSIMO
COMITI AC DOMINO,

**DNO. PHILIPPO
REINHARDO,
COMITI HANOVIAE,
RHINECCII ET BIPON-
TII, DYNASTÆ MÜNZENBER-
GÆ, LICHTENBERGÆ ET OCH-
SENSTEINII, MARESCHALLO
HÆREDITARIO, ET ADVOCA-
TO SUPREMO ARGENTO-
RATENSI, &c.**

**DOMINO MEO
CLEMENTISSIMO.**

 Vanquam hæcenus ILLUSTRIS-
SIME DNE COMES , omni stu-
dio & ratione in id incubuerim , qvò pacto ILLUSTRIS-
SIMÆ CELSITUDINI TUÆ pro multitudine beneficiorum , quin etiam pro singulari isto patrocini-
o , qvo me reliquosqve cives contra immanissimas hostis invasiones Clementissime protexisti atqve PATREM PATRIÆ magnum TE præstitisti , vel minimam partem debitæ meæ Obligationis exsolverem , nulla tamen unquam suppeditabatur occasio , qva vel semel animum meum gratisimum TUÆ CELSITUDINI ILLUSTRIS-
SIMÆ coram declarare liceat , nisi qvod nunc amore nobilissimi studii Medici , cui jam ab aliquo tempore noctes diesqve non sine insigni animi delectatione penitus me-
met consecravi , exiguas hæc primitias TUÆ CELSITUDINI humillimè dedicare non erubescerem , sum-
mopere rogans , ut illas sereno vultu accipere , mihi verò animum eximæ benevolentia & gratia prorsus singularis plenissimum conservare ne dedigneris. Faxit
D. T. O. M. ut CELSISIME DOMINE COMES , Protector Patriæ vigilantissime , cum SERENISSIMA PRINCIPE CONJUGE TUA omnibus Virtutibus Se-

xu illo dignissimis, immo eundem longè superantibus e-
gregiè condecorata vitam in Nestoreos protrahas annos.
Confenescat stirps Hanoica, & reddat eam DEUS fœ-
cundissimam, ut in omne permaneat ævum, &

Nati natorum & qui nascentur ab illis,

Immortale posteritati relinqvant Nomen; Accumuletur
ILLUSTRIS DOMUS HANOICA Omnigenis bonis.
Efflorescat in ea exoptatissima pax, latissimeqve sese dif-
fundat; splendescat sincera religio & affatim propagetur;
Inclarescat deniqve Illustris Schola, ut ex ea tanquam ex
eqvo Trojano multi ac insignes prodeant Heroës, qui a-
liquando suis se virtutibus commendare, & magno orna-
mento, summoqve commodo esse possint.

Ego verò omnem meam operam, omnemqve men-
tem impendam, ut vivam in honorem DEI, in salutem
proximi, & ut semper agnoscar

*ILLUSTRISSIMÆ TUÆ
CELSITUDINIS*

Dabam Vitebergæ Saxonum

IX. Januarii Anni recens

nati clb l^o CXCI.

Subiectissimus Servus.

JOH. DIETERIC. HOFFSTADIUS.



I. N. J.

PROOEMIUM.

An olim ab HEROPHILO Anatomiconum Principe subtilissimo, effato PLINII aliorumq; sumus edocti, medicamenta Deorum esse manus, quod & ipsum longiori corundem usu, & efficacia, quam in morbis diversis tollendis, saepe diversa obtinent, satis superq; universo ferè terrarum orbi hactenus innotuit. Quamquam non negaverim, quandoque accidere, ut iisdem quoque non reconvalescentia, sed mors ab imperitioribus procuretur, quem tamen funestissimum infelicissimumq; effectum non ipsis medicaminibus, sed applicanti illa acceptum ferendum esse, sapientior quisque credit. Abusus verò non tollit usum, sunt tamen saepe cause altiores, quae mala etiam in nostrum convertunt commodum. Quemadmodum verò varios affectus ac insultus morbosos varii variis depellere conantur medicaminibus, & vix ullum sit, cui non sua adscribatur laus suaq; constet gloria: Ita unicum tantum medicamen mihi sit instar omnium, quod suis se commendat laudibus in quibuscunq; ferè aegritudinibus, quibus genus humanum est obnoxium. Hoc enim profectò magnum quid confert ad conservandum statum microcosmicum, eundemq; lesum pristina sanitati restituendum, omneq; fert punctum. Hoc certè est quod eminet inter alia tantum,


Quantum lenta solent inter viburna cupressi,

*Et inventionis curiositate, Et ingredientium selectu, Et præ-
 parationis exactitate, Et usus utilitate, Et doseos paritate, at-
 que assumptionis securitate. Hæc omnia Et singula ego jam
 aliquot retro annis ab Experimentis Celeberrimisq; artis
 medicæ antistitibus cum fuisset experius, Et ipsi mihi insi-
 gnes illius virtutes non obscure innotuissent, experto, ut
 fert vulgare verbum, credo Ruperto. Opera itaq; præ-
 tium duxi, præ omnibus aliis idem illud eligere Et pro virili
 pertractare. Est autem heroicum illud medicamen ab in-
 signi præstantia cognominatum Theriaca, Et quidem suo
 meritisimo Benedicta sive Coelestis. Qui cælum ergo
 creavit, Et de terra medicinam conatui huic nostro Et cæ-
 lesti medicamini cælestem largiatur eventum Et effectum.*

CAPUT I.

De Ὀνοματολογία.

§. I.


 Venadmodum in eadem re, de qua sermones
 instituere quis velit, neutiq; feliciter pro-
 gredi, & illa quæ ex eadem profluunt, rite per-
 sequi potest, nisi nomen ejusdem præmittat ac
 genuinam accuratamq; significationem ex fonte ipsius
 deducat, id quod & Plato sapientum phosphorus, & Hip-
 pocrates ἰσόθεος, & Galenus laboriosissimus confirmant,
 quippe qui idem fecisse leguntur. Ita & nos de nomine
 THERIACÆ nostræ COELESTIS solliciti esse debemus,
 antequam ad ulteriora progrediamur.

§. II. Est autem THERIACA, origine sua vox græ-
 ca, quæ ab eo quod est θηρίον, fera seu bestia in genere, in
 specie verò aliam adhuc significationem nobis forte magis
 convenientem Exc. Bruno in Lexico suo p. m. 113. τὸ θη-
 ρίον

εἶναι assignat, quod videlicet quasi καὶ ἕξιον denotet viperam seu serpentem. Etenim licet vipera seu serpens animal aliàs audiat maximè noxium, quod insigne detrimentum, quin etiam mortem ipsam suo venenato atqve maligno morfu inferre possit, quæ maximè sit venenata sive tantum respectu quarundam partium, utpote capitis & fellis, prout Schröderus in pharmacopœja sua vult, vid. loc. de viperis, & Cl. Waldschmid disp. Theriaca Greiff. Cœlest. cap. 1. p. m. 2. Celeb. D. Joh. Dolæus in Theatro Theriacæ, Cœlest. Hoffstätt. cap. 1. p. m. 13. seq.

§. III. Certum tamen est, & usu experientiaqve factum comprobatum insignem quoqve longeqve saluberrimam vim recte preparatas possidere antilamicam & iisdem debellandis inservire morbis, quos antea vel ipsamet procuraverat. Tam provida est natura, ut vix quicquam in se contineat tam letiferum, tamqve venenata qualitate præditum, cui non suum quoqve indiderit antidotum.

§. IV. Ex ipsis verò viperis medicamina parari posse non modo omni vi nocendi prorsus destituta, sed & summè utilia in profliganda malignitate, illud ex præsentibus nostris THERIACA, quam carnes viperarum non in exigua quantitate ingrediuntur, luce meridiana clarius est, & ex professo hoc docuit pecul. tr. Clariss. Moyses Charas, & Acutissimus D. D. Ettmüllerus disp. Inaugurali doctissima de morfu viperarum.

§. V. Cognominatur verò COELESTIS non aliunde nisi ab insigni sua virtute & sanè stupenda, quæ cætera omnia medicamina utcunqve præstantia multis sanè parafangis antecellit, quemadmodum sol sua luce radians tot mille stellas superat. Conf. Ampliss. D. D. Joh. Jac. Waldschmidt. disp. de Theriaca Greiffiana, Cœlesti dicta, cap. 1. p. m. 2. & Cl. D. Joh. Dolæum 1. a. p. m. 16. ac Magnificum Splen-

Splendidissimumque D. D. Georgium Francum ibid. p. m. 73. Idem enim & olim alii fecerunt, ut medicaminibus certa imponerent nomina, quibus suas extollerent laudes & encomia, eaque præ reliquis singulari quadam prerogativa gaudere, indicent, prout & balsamum vitæ, & aqua Carbunculi, quæ non ex Carbunculo, sed diversi generis aromatis functiones vitales restaurantibus præparatur.

§. VI. Sunt & alia quæ Polychresta vocant ob multiplicem usum, quem præstant: Immo Panchresta, quasi in omnibus affectibus convenient. Vel cognomina illa desumere ab effectu notabili alio, velut olim Theriaca *γαλλικη* dicebatur teste Gal. L. de Theriac. ad Pamphilium, Conf. Gorr. apud Cl. Brunon. Lex. Med. p. 424. & Auctor. pharmacop. August. f. m. 228. vel à suis Auctoribus, à quibus adinventæ vel adauctæ, prout Theriaca sic dicta Andromachi Senioris, Aelii Galli, Antiochi philometoris, Euclidis, Zenonis, Quercetani, Greiffii &c. innuit.

§. VII. Et certè accommodatius nomen nostræ Theriacæ imponi posse, vix video, cum Numen Cœlestis singulari bonitate gratiam suam hominibus clementissimè in ea concesserit, utut ea multa alia, tamen vel imprimis Theriacam omnibus illis præferendam & prorsus divinam adinvenire, adinventam augere auctamque ad usum saluberrimum conferre, nobis benignissimè largita sit quasi cœlitus.

CAPUT II.

De Auctoribus Ejusdem.

§. I.

Diversas olim à Græcis traditas fuisse descriptiones Theriacæ, indeque ad Arabes translatas, notissimum est. Hinc legimus Theriacam Diatesaron Mesues, vel Avicennæ.

na. Conf. pharmacop. August. class. XIV. & Zvvölfferi animadversiones in eandem p. m. 240. Sed erat illa tum temporis jumentis magis dicata quam ipsis hominibus, quamquam & hæc additis quibusdam aliis convenientibus, simplicibus, aromatibus atque radicibus ad usum humanum plurimosque affectus refranandos salutare & insignes possideat vires, teste jam commemorato laboriosissimo Auctore l. c..

§. II. Immo plura medicamina nomen Theriacæ sibi olim vindicasse legimus. Intèr quæ tamen rei medicæ studiosissimus Andromachus Senior Cretensis, Neronis Cæs. Medicus, de quo Galenus l. 1. de Antid. C. 1. & lib. 1. de Ther. ad Pison. c. 5. ac Vosius de Math. c. 33. §. 10. apud Cl. J. J. Hoffmannum in Lex. Univ. f. m. 117. primariam instituit, versibusque delineavit, ingredientia varia proposuit, ex iisque valde diversis tandem hanc massam famosam concinnavit.

§. III. Tantum verò in conficienda ea adhibuit laborem, tantam curam, tantamque industriam, ut exoptatissimo cum successu ægrotis propinaverit, & propterea quoque tum temporis maximi erat usus Principibus, immo ipsis Imperatoribus, ut de nullo alio medicamine tantas fecerint laudes, quam de hoc ipso, ob felicissimas virtutes laudabilissimosque effectus, quos ex eo perceperunt. Hanc doctis Commentariis illustrarunt Viri de rep. medica longè meritisimi Bartholom. a Maranta Italicè, sed latine per Joach. Camerarium, Anton. Berthiolus, El. Bonvinus, Rondeletius, J. H. Meibomius; & nostris temporibus Illustris Thom. Bartholinus; Danorum decus, Moses Charas in Pharmacop. Galenico Chym. lib. 1. cap. 20. p. m. 277. seqq. Cordatissimus Rei pharmaceuticæ scrutator Dan. Ludovici dissert. 1. p. m. 220. seqq. aliisque. Illud cum

ad posteriores crebra & diligenti evolutione librorum
pervenisset, compositionem ejus approbaverunt.

§. IV. Hispani verò raro Theriacam vulgarem in
usum vocant, sed ejus loco substituunt SMARAGDINAM,
cujus descriptionem tradit Zacutus Lusitanus & Archiater
Bavarus Thirmairius in suis consiliis p. 28. teste Wald-
schmid. l. c. p. m. 12. Ita legimus THERIACAM Androma-
chi REFORMATAM per D. D. D' Aquin ap. laud. Moyf,
Charas l. a. p. m. 285. seq. Ita legitur THERIACA ANTI-
MONIATA CHYMICA ap. Dan. Ludovic. dissert. 1.
p. m. 220.

§. V. Verum cum dies ex trito proverbio, diem do-
ceat, ulterioriqve rerum abstrusissimarum investiganda-
rum sedula experientia edocti fuissent, aliam longè excel-
lentiorè præstantiorèqve Theriacam excogitaverunt,
quam cognomine COELESTEM nuncupaverunt seu
BENEDICTAM, cujus primum Auctorem cum Jacobo
von Dohren, Pharmacopæo-Chymico Cassellano in pecul.
tr. de Eadem Cassellis 1676. in 12. potissimum verò Exc. D.
D. Waldschmid. l. c. c. 1. p. m. 2. ac Eruditiss. Patronoqve
summo D. D. Franco in Epist. ad me in Theriaca Cœlesti
Hoffstatt. p. m. 71. seq. agnoscimus solertissimum Gallix
Regis Medicum Josephum Qvercetanum Armeniacum,
(quem Gallicè Chesnæum vocat Jac. Gaffarellus de Curio-
sitt. Inauditt. cap. V. p. m. 98.) vid. Celeberr. oculatissi-
mumqve D. Dr. Georgium Francum in progr. Botan. ad
Agri Heidelbergensis viridaria, ubi de *ma. d. y. s. v. e. d. i. a* planta-
rum prolixè agit, p. m. 27. Idem quoque Qvercetanus insi-
gnis Chemicus describit in pharmacop. Dogm. restit. cap.
23. & in Alexiaco. Adde Schröder. in Pharmacop. l. 2. &
ad h. l. Clavem Celeberr. D. Frid. Hoffmann. Verum ejus
de-

descriptionem quidem breviorē, sed non minus valde accuratam concinnamque deprehendimus.

§. VI. Nec enim medicaminum farrago medicinam laudabilem efficit, sed eorundem artificiosa præparatio, solutio & virium intimarum extractio. Ab hoc translata est & sensim magisque polita teste sæpius allegato insigni Medico D. D. Franco in laud. Epist. p. m. 72. à Clarissimo ac solertissimo Tubingensium Pharmacopæo - Chymico Friderico Greiffio, (cujus vitam videre est ap. Excell. D. D. Mercklinum in Lindenio Renovat. p. m. 306. & Paul. Freherum in Theatro Virorum Eruditor. f. m. 1407.) qui quoque heic suam proposuit operam atque diligentiam singularem comprobavit posteritati, quippe non solum alia, quam Quercetanus superaddidit ingredientia, cor præcipue & vires respicientia, sed ipsum quoque præparandi modum non nihil correxit, ipsamque Theriacam Cœlestem propriis sumtibus Tubingæ præparavit, teste Cl. Waldschmid. l. a. c. 1. p. m. 2. seq. ut ita ingeniosissimi Quercetani memoria nunquam apud nos sit intermoritura.

§. VII. Porro à Greiffio primum Tubingenses atque Stutgardiani, dein Hanovienses, uti præstantissimus Heræus 1667. acceperunt cui tamen pœc. scripto prædictus D. Greiffius obstitit, ceu è programm. & concione funebri B. Greiffii refert Cl. Freherus l. a. Postea Cassellenses insigne hoc pharmacum sunt mutuati, indeque ad Francofurtenses, Heydelbergenses aliosque pervenit, circa Rhenum hærentes, ut jam perspecta gigantei hujus remedii (ita vocavit Celeberr. atque facundissimus D. D. Georgius Francus olim in Epistola ad me super eodem p. m. 71.) præstantia, nemo non illius particeps fieri desideret. Vide omnino Excell. Dn. Consil. & Archiatr. Hassiaci Joh. Dolæi, Fautoris & Amici mei magni Theatrum Theriacæ Cœlestis

stis Hoffstadianæ Cap. I. p. m. II. Hanov. 1680. in 12. qvi pag.
seq. de hac ipsa nostra Compositione (præfiscini tamen
dixerim) benevolè sentit.

CAPUT III.

*De ipso medicamento ejusq; descri-
ptione.*

S. I.

Qvanquam ipse Quercetanus in colligendis eligendisq;
simplicibus, ut illis heroicum illud levamen confice-
re posset, maximè industrium se exhibuerit, atqve extra-
ctiones, solutiones, depurationes certis suis præstiterit
menstruis; Greiffius tamen qvi in pharmaceuticis atqve
chemicis observationibus non parùm sudavit, composi-
tionem ipsius reformavit, emendavit, quæ putavit laudabili-
ter addi posse, ea addidit, atqve sic ipse opus est aggressus,
summoqve cum studio elaboravit, atqve insigniter ipsam
Theriacam Cœlestem extulit, ac propterea legi meretur
peculiaris tractatus, quem de ea scripsit, verba ex illo, re-
ferente Jacob von Dohren, pharmacopæo Cassellano pec-
tr. p. m. 24. hæc sunt: *Theriaca Cœlestis est antidotus uni-
versalis, roborans, venenis resistens, fluxus immoderatos
cohibens, dolores mitigans, morbosq; deploratos & fere incu-
rabiles propellens estqve instar Panacæ & c.*

§. II. Et si ullum medicamentum natura provida,
arsqve sedula prodidit, quod laudem meretur, sanè est no-
stra Theriaca Cœlestis, cujusqve compositionem à Greif-
fio sumus mutuati. Sed quam primum ad nostras ea per-
venit manus, nobis tamen non satis correctæ esse videbatur,
sed multa adhuc continere, quæ digna essent ulteriori ali-
qua lima, & circumspectiori emendatione, in primis circa
pon-

pondus gummi atqve opii. Etenim cum gummi ob in-
gentem copiam vires opii quod in minori quantitate adest,
basinqve constituere Theriacæ debet, obtundant atqve de-
bilitent, quartam tantum partem eorum ad vires opii in-
tegras conservandas, doloresqve atrocissimos eo citius le-
dandos sumendam esse putavi. Alia ut taceam quæ addidi
quæqve quoad dosin immihui.

§. III. Verum ad evitandam temeritatem in re præ-
sertim altioris indaginis, in qua salus humana versatur,
proprio hoc meo consilio correctionem in me suscipere
nolui, sed sententiam meam genuinè communicavi cum
Celeberrimis quibusdam & ingeniosissimis Magnorum
Principum Archiatris & Poliatis, quales sunt Excellen-
tissimus multisqve nominibus prosequendus D. D. Fran-
cus, D. D. Joh. Daniel Horstius, D. D. Joh. Gottfr. Geilfu-
sius, D. D. Joh. Ludov. Wizelius, D. D. Joh. Jac. Waldschmi-
dius, D. D. Joh. Hoffstadius, D. D. Jac. Dorellius, & Dn. Lic.
Joh. Helfr. Jungken, Omnes Doctores longè meritisimi,
& Celeberrimi; Hi omnes ac singuli in consilium hoc
meum libentissimè concesserunt maximèqve approbave-
runt.

§. IV. Quare non ita multo post assistente summo anima-
rum Archiatro meas quoque tentavi vires in conficienda
Theriaca mea Cœlesti, seduloq; à me reformata, quod non
solum feliciter sum aggressus, verum quoque ad finem cum
DEO perduxì exoptatissimum A. C. cIo Io CXXC. Et fa-
ctum est felicissimo hoc eventu quem in multis desperatis
deplorationisqve morbis satis compertum habeo, ut gravissi-
mas illas curas, labores, molestias, quas mihi hoc modo
creavi, proferam contemserim. Quin etiam ansam inde
arripui, plura ejusmodi dignissima in posterum medicami-
na conficiendi, sicuti & reapse confeci. t. ipsum Mithri-

datium adlibras CCC. Theriacam Andromachi ad libras
D. Diascordium Fracastorii ad libras C. Confectionem Al-
kermes ad libras L. Antidotum Matthioli ad totidem, Ipsam
verò Theriacam Cœlestem ad libras XII. sumtu certè & la-
bore non contemnendo, quod præfiscini dixerò.

CAPUT IV.

De Ingredientibus seorsum.

Antequam ad ipsam præparationem & mixtionem pro-
gressum faciamus, ordo postulat, ut singula ejusdem
commemoremus simplicia & composita. Fecit hoc qui-
dem ante nos Experientiss. Archiater D. D. Waldschmi-
dius l. a. cap. 2. per totum, qui videatur p. m. 3. seqq. & No-
biliss. Dn. D. Dolæus l. a. cap. 2. p. m. 18. Nos pace aliorum
hac vice ea in quatuor dispecemus classes, quarum prima
regnum vegetabile, hæcque potissimum, ita ut medica-
mentorum è regno vegetabili desumtorum Reginam, &
quod cuncta multis præcellat parasangis, vocet Celeberr.
D. D. Joh. Jac. Waldschmid. disp. de Theriaca Greiffiana
cap. I. p. m. I. Marpürgi 1674. secunda Animale, tertia Mi-
nerale, & quarta denique exhibet composita.

E. Classe prima Ordo est primus.

Ex Regno vegetabili sunt sequentia, quæ in certos ordi-
nes subdividimus.

E. RADICIBUS,

Angelicæ.

Zedoar.

Aristol. R. V.

Cardopat.

Dictamn. alb.

Gentian. alb.

Imperator.

Petasitid.

Pimpinell.

Scorzon. ver. Hisp.

Serpentar.

Succif. s. mors: Diabol.

Tormentill.

Valerian.
Vincetoxic.
Aristol. L.
Asari.
Cyper R.
Contrajerv.
Cruciat.
Galang.
Enul. Camp.
Jrid. Flor.
Zingiber.
Meu.
Pentaphyll.
Rhapont.
Rhabarb. opt.
Acor. f. calam. arom.

Ordo secundus.

E X H E R B I S.

Card. bened.
Dictamn. Cr.
Galeg.
Rut.
Scord. Cret.
nostr.
Schœnanth.
Abrotan.
Chamædr.
Chamæpith.
Calamenth.
Marrub.
Origan.

Pol. Cretic.
Rorismarin.
Salv. min.
Scabios.
Majoran.
Mar. Ver.

Ordo Tertius est.

E F L O R.

Spic. Celtic.
Stachad. Arab.
Spic. Indic.
Rosar.
Hyperic.
Centaur.
Calendul.
Croc. or. c. menstruo volat.
Thomson. extr.
Macis.

Ordo quartus constat.

E L I G N I S.

Aloes.
Aspalath.
Sandal. Citr.

Ordo quintus exhibet

S U C C.

Rad. Glycyrrhizæ
Opii ad mentem Magni
Chimiatri Joel Langelotti
correcti & depurati.

Ordo

Ordo sextus continet.

BACC. & FRVCT.

- Juniper.
- Laur.
- Parid. Herb.
- Piper. long.
- alb.
- nigr.
- Cardam. exc.
- Carpobals.
- Cubebat.
- Caryophyll.

Ordo septimus refert.

CORT.

- Cass. lign.
- Cinnamom.
- Cost. vera.

Ordo octavus complectitur.

SEM.

- Buniad. s. nap. sylvestr.
- Card. bened.
- Citr. excort.
- Aqvileg.
- Ammeos.
- Amomi.
- Anisi.
- Dauc. Cret.
- Hyperic.
- Rut.
- Sesel. s. sil. mont.
- Thlasp. s. nasturt. alb.

Ordo nonus sistit.

GUMM.

- Myrrh. non aceto sed singu-
lari solut. mentruo.
- Oliban.
- Sagapen.
- Sandarac.
- Aspalath.
- Galban.
- Mastich.
- Opoponac.
- Arabic.
- Resin. Styrac.
- Camphor.

Ordo decimus proponit.

- Ol. Nucist.
- Caryophyll.
- Nuc. moschat.
- Succin.

Ordo undecimus addit.

- Spir. Therebinth.

Ordo duodecimus illis
jungit.

- Bals. peruvian. in menstruo
quodam volatili & oleo-
so solut.

Ordo decimus tertius sub-
ministrat.

- Trochisc. de Scilla.

Ordo

Ordo decimus quartus de- Magist. Corall, solub.
niqve recenset
Corallia præparata, & co-
Evol. Cochlear. Tartar. rallorum.

Jam ad Classẽm II. progredimur, quæ Regnum animale
offert; Ex eo sequentia subministrantur,

Trochisc. viper. Serpent. nostr. phil. calcin. Castoreum
cum spirit. alcalis. ad normam Famigeratissimi D. D. We-
delii. Hoc enim meritisimo suo inter potentissima refer-
tur medicamenta; adeo ut mihi valde arriserint versus isti
ambo mnemonutici Svavisimi & acutissimi D. D. Franci,
quos nuper inter prandium ab ipso addidici:

Sex sunt in medicis, quæ vincunt robore taurum,
Succina, Castoreum, Mars, Camphora, Tar-
tarus, Aurum.

Est & C. C. philos. calcin.	Bezoar Orient.
Item: Serpentes præpar.	Occident.
Mater perlar.	Magist. solub. s. sta Ef- sent.
Lapill. cancr. fluq.	Matr. perlar.
Perla orient.	Perlar, orient.
Sal matr. perlar.	Evol. C. C.
Margarit.	
Lapill. Gammar.	
Galreda C. C.	

Parat. ad mentem Magni Wedelii hæcque ab
Excell. Archiatri D. D. Geilfusio & D. D. Waldschmidio
mirè commendabantur, vid. Celeb. D. D. Dolæum l. a.
cap. 2. p. m. 31.

Clasfis III.

Regnum Minerale producit, ubi occurrunt.

Spir. Vitriol.

Magist. solub. f. 5 ta Essent.

Terra sigill. Siles.

Chrysolith.

Turcic.

Rubin.

Lap. Chrysolith.

Granat.

Granat.

Hyacinth.

Hyacinth.

Smaragd.

Rubin.

Evul. Succin.

Smaragd. ana ppt.

Ultimo Clasfis IV. Medicamenta Composita recenser,
quæ sunt:

Specif. cephal. D. D. M. constans ex Margar. succin.
alb. Unicorn. fæcul. pœon. bez. or. O fin. & c.

Bezoard Mineral. chymic. mod. præparat.

Bezoard Animal. ex serpent. & rad. Angel. Valer.
& herb. rut.

CAPUT V.

De Præparatione & mixtione.

§. I.

Præmissa serie ingredientium extriplici regno, proximum est, ut ad ipsam præparationem & mixtionem nos accingamus. Initium itaque facimus bono cum Deo hoc modo: Sumuntur Pulpæ Scillæ aut loco ejus Troch. de Scilla s. q. grosso modo pulveris, per se infund. menstruo quodam ex Spiritu vini rectificatissimo accedente Sale alkalico manifesto, ut menstruum à phlegmate probè depuretur & penetrantiores acquirat vires.

Tro.

§. II. Trochisci viperar. simili modo ad pulverem redacti proprio menstruo infunduntur, quæ infusio bis terque est reiteranda prout notum est.

§. III. Serpentes nostri philosoph: sunt præparand: Secundum Methodum chimicor., ut à venenata malignitate liberentur.

Pulpa allii cum menstruo aliquo peculiari extrahenda.

§. IV. Opium juxta methodum Excellentissimi Chimiatri & Archiatri Holsatici Dn. Langelotti corrigendum & depurandum ad consistentiam mellis inspissati. Tantum opii sumitur quantum ad basin constituendam sufficit. Conf. D. D. Dolæum l. 1. p. m. 33.

§. V. Myrrha selecta non aceto, sicut alii volunt, sed singulari itidem gaudet menstruo ad dissolvendas partes resinofas idoneo.

§. VI. Crocus optimus & orientalis menstruo volatili, & quidem methodo Thomsoni medici Angli celeberrimi extrahendus, bisque aut ter infusio reiteranda, & in extractum molle redigenda.

§. VII. Castoreum spiritu alcalisato ad mentem D. D. Wedelii professoris Jenensis Celeberrimi & nobilissimi digestum extrahendum pondere dimid. pars croci sumenda est.

§. VIII. Aromata varia sunt; & egregia medicamenta ex iis elici possunt. Omnia autem sunt in pulverem mediocr. redigenda, tum menstruo aliquo spirituoso valdeque volatili, ad extrahendas partes oleofas easque à compedibus suis liberandas utendum, sed infusio sæpius est repetenda.

§. IX. Vegetabilia, ut herbæ, flores, radices, ligna, femina, baccæ, unum idemque medium spirituosum habent. Sed singula seorsum extrahere oportet, ut eo meli-

is particulæ, oleosæ, resinosæ, & volatiles, quæ in quibusdam reperiuntur, elici & ad actum deduci queant.

§. X. Succiper se sunt infundendi menstruo quod ex vino malvatico factum est.

§. XI. Gummi similiter per se lento igne dissolvenda, sed in minori quantitate, quam antea à quibusdam pharmacopæis dispensata fuerunt, idque potissimum propter opium, cujusque vires alias magis obtunderentur & supprimerentur.

§. XII. Camphora per se spiritu theriacali sive oleo quodam destillato venie solvenda.

§. XIII. Gummi arabic. Corn. C. phil. Calc. & terra sigillat. propter mucilaginem suam certo quoque menstruo indigent.

§. XIV. Oleum nuc. moschat. lento igne solum reliquis oleis destillatis secundum artem & cautè admiscendum est ob volatilitatem quam possidet.

§. XV. Resina styracis oleoso quodam dissolvitur commodè, quibus omnibus

§. XVI. Olea destillata & spiritus secundum artem pharmaceuticam admiscuntur.

§. XVII. Balsamum Peruvianum seu Indicum verum, oleis destillatis probe dissolutum massæ priori gradatim affundendum.

§. XVIII. Postquam peculiaribus & appropriatis menstruis vires nobilissimas, ex modo recensitis ingredientibus intra quatuordecim dies extraxi, atque sub prælo fortissimè expressi, tum iterum ejusdem generis liquoris super affudi, remanentiis qui relinquendus per octiduum super illas, hocque ter repetendum est.

Cum

§. XIX. Cum jam mihi Viderentur omnes vires probè extractæ, infusiones singulas per chartam bibulam filtravi, & jungenda conjunxi, atqve per arenam in Balneo Mariæ abstraxi ultra medietatem usqve; spiritum vero destillatum volatilem ritè custodivi, cujus residuum vitro inclusi, sed speciebus remanentibus sub prælo expressis adhuc semel aquam Theriacalem affudi, & altero die per alembicum abstraxi, hanc aquam seorsum mixturæ intermiscui, residuum hujus in alembico iterum per chartam bibulam trajeci.

§. XX. Et quia quædam sunt simplicia, quorum vires spiritibus omnes extrahi non possunt, idcirco phlegma quoddam ad præstandum hoc postremo requiritur. Facta filtratione inspissantur ad consistentiam extracti mollis, quod spiritu abstracto Theriacali volatili iterum solvitur, filtratur & solutioni antea factæ additur.

§. XXI. Tandem ex remanentibus speciebus sive capite mortuo exsiccato inque cinerem redacto lixivium, & ex hoc sal aliquid album & crystallinum paravi sed sine sulphure, quia existimo cum Φ e non solum impuritatem Θ is, sed etiam multum virium ejusdem in auras avolare.

§. XXII. Absoluta itaque infusione, expressione, filtratione, destillatione, inspissatione, solutione & salificatione, tunc porro laboriosa opera ad massam redegi cui non solum illos Ψ volatiles in minori copia verum etiam Υ am Theriacalem, quam adhuc fortissimum odorem & saporem habere deprehendi, & Θ pariter addebatur, licet ejusdem exigua erat portio.

§. XXIII. Opium vero seorsum solutum secundum methodum chemicorum inspissavi, & reliquo extracto adjunxi. Cætera ingredientia, ut descriptio mea clarè innuit secundum artem pharmaceuticam similiter massæ ad-

didi, de qua hic prolixè agere possemus, nisi brevitati stude-
deremus & in aliud tempus reservaremus ubi Deo volente
cum omnibus illis qui operationibus ejusmodi delictan-
tur non solum integram & veram compositionem, corre-
ctionem & præparationem additis adhuc aliis minus usita-
tatis tractatu quodam brevi communicabo & publici juris
faciam, ubi DEO visum erit, nec lectori ingratum accidet.

§. XXIV. Omnibus sic optimè sibi invicem com-
mixtis & agitatis facienda est massa mollior, quam cum
Quercetano, Greiffio, & aliis Theriacam Benedictam vo-
camus. Ut igitur ex ea Theriaca Cœlestis paretur sequentia
sunt addenda:

§. XXV. Serpentes nostri recto tempore collecti &
enecti in umbra exsiccandi sunt sine cute capite, cauda &
intestinis.

§. XXVI. Bezoardicum animale secundum Schrö-
der: Cap. 5. pag. 309. ritè præparandum & in subtilissimum
pulverem redigendum.

§. XXVII. Galreda Corn. Cerv. omitti & in locum
illius substitui potest Corn. Cerv. Philos. ppt.

§. XXVIII. Specificum Cephal. D. D. Michaëlis ex
præparatis & non ex magisteriis præcipitantibus compo-
nendum nihilominus ex cinnabari §ii sublimata.

§. XXIX. Bezoar Oriental. & occidental. pretiosis-
simum, item magisteria solubilia, seu quinta essentia Co-
rallorum, matris perlarum oculor. cancr. perlar. orient.
chrysolith. rubin. granat. smaragd. hyacinth. Menstruo
singularissimo nempe sale, seu balsamo terræ & sulphure
vegetabili præparanda, ne pretiosa hæc in Caput mortuum
redigantur, & ita vires excellentes obtundantur.

§. XXX. Salia volatilia chemicè sublimanda, sunt
autem Θ volat. C. C. Tartari, succin. & cochlear. hæc omnia
secun-

secundum methodum acerrimi Wedelii sunt præparanda.

§. XXXI. Ossa de Cord. Cervi, terr. sigill. Siles & Turcica, unicornu fossile ac verum in subtilem redigenda pulverem.

§. XXXII. Ambra grysea spiritu aliquo dissolvenda. Heic jam denuo audiamus Nobiliss. D. D. Waldschmid. qui l. a. p. m. 6. ubi recensuerat ingredientia, addit: Ad horum omnium præparationem, extractionem & mixtionem singularis non solum requiritur pharmacopœi industria; verum rara quoque in operando quædam dexteritas & scientia.

§. XXXIII. His ergo rite præparatis & certa quædam *εγχερήσει* ad massam justam redactis, evadit exinde Heroicum istud medicamen, quam Theriacam seu panaceam reformatam Hoffstadianam vocamus, quemadmodum ex Theatro D. D. Dolæi Archiatri & Consiliar. Sere-niss. Dn. Landgrav. Hasso Cassellensis pluribus videre est.

CAPUT VI.

De medicament. usu in genere

Et specie.

§. I.

PERacta justa fermentatione præstantissimi hujus medicamenti, in usum saluberrimum illud convertitur, qui amplissimus est, & quod ad *generales* ipsius *virtutes* excellentes concernit, quis nescit, quantum valeat in effrænato & tumultuario spirituum animalium motu pristinæ tranquillitati & quieti restituendo? Quis tam obiter versatus est, in medicis, quem lateat vis ejus eximia fermentativa, quæ sanguinis *δυσκρεσίαν* ad legitimam *κράσιν* reducat?

Quis

Qvis immemor est, quantum INSENSIBLEM TRANSPIRATIONEM IMPEDITAM promoveat, atque fomitem malorum per *διαφύεσιν* foras eliminat, & naturam quæ oneri succumbere debebat, ab eo liberet. Ad quod medicamen in diversi generis cruciatibus atque EXQUISITISSIMIS DOLORIBUS commodè sedandis tutius confugiendum esse existimabimus, nisi ad opiatum hoc nostrum? Conf. Dolæum l. a. p. m. 38.

§. II. Quod singulares ejusdem usus attinet, quàm longissime sese illi extendunt. Est præterea ANTIDOTUS UNIVERSALIS ROBORANS, teste Waldschmid. l. a. p. m. 7. apud quem Auctores Collegii Archiatorum Wurtembergicorum his verbis: Est confortativum, ubi sc. vires tam vitales, quàm animales & naturales vel a malignitate vel fervore aut acrimonia humorum aut vaporum, vel quoque à nimis coagulationibus vim patiuntur D. D. Waldschmid l. c. p. m. ead.

§. III. Facit etiam ad PESTEM ac omnia cujuscuque generis VENENA Waldschmid. l. c. 3. p. m. 7. Dolæus l. c. p. m. 35. 43. seq. & malignitatem depellendam; hinc in FEBRIBUS PETECHIALIBUS laudat Celeb. D. G. Francus Lynceus ille Argus l. a. p. 78. sistit urgentiora symptomata, utpote *ἀγρυπνίαν* Dolæus l. a. p. m. 35. 42. atrocissimos exquisitissimosque dolores mitigat prælaudatus D. D. Georg. Francus l. a. p. m. 77. cohibet NIMIUM FLUXUM; Waldschmid. l. a. p. m. 7. sistit HÆMORRHAGIAS, & innumeris aliis malis obicem ponit, nempe CEPHALALGIAE, particulas acres obtundendo, APOPLEXIÆ, vid. omnino Ampliff. D. D. Dolæum l. a. p. m. 41. seq. sanguinem ad justam fermentationem adigendo, OBSTRUCTIONESQVE in cerebro adimendo, prodest pariter in VERTIGINE Dolæus l. a. p. 42. & DELIRIO & MELANCHO-

CHOLIA & MANIA spiritus in motu peccantes redu-
cendo.

§. IV. Tollit EPILEPSIAM vid. Cl. Dolæum p. m.
38. seq. excursionem spirituum ferocium impediendo, le-
vamen adfert in CONVULSIONIBUS MOTIBUSQVE
SPASMODICIS seu CONVULSIVIS vid. insign. D. Do-
læum p. m. 39. seq. acidum corrigendo ; IN AURIUM
TINNITU post purgantia ad materiam restantem consu-
mendam laudat Conr. Jöhren. prax. chim. s. i. c. 9. p. m.
157. præstat in POLLUTIONE NOCTURNA & GO-
NORRHOEA utraqve D. Dolæus p. m. 62. vias nimium di-
latatas modicè constringendo & virulentiam removendo,
ceu insigni cum fructu heic exhibuisse Magnif. atqve Ex-
cell. D. D. Joh. Ernest. Morgensternium, Archiatr. Elect.
Saxon. intellexi ex Ampl. Dn. Præside, addito simul Bals.
de Tolu.

§. V. In MEMORIÆ DEBILITATE, Spiritus con-
fortando, vid. Cl. D. D. Dolæum l. a. p. m. 42. In LEPRA,
ELEPHANTIASI, SCABIE, nec non Lue & ea laudatur
maximè ab Eodem Ib. p. m. 46. seq. In ANXIETATIBUS
HYPOCHONDRIORUM, in NAUSEIS, INQUIETUDI-
NIBUSQVE nimis. Id. Ib. p. m. 49. In FEBRIBUS CA-
TARRHALIBUS, Id. Ib. p. m. 51. In ANOREXIA, DOLO-
RE & ARDORE VENTRICULI, in CONCOCTIONIS
& CHYLOSEOS LÆSIONIBUS, in RUCTU ACIDO,
FLUXU ALVI SANGVINEO, vulgo HEPATICO, In
FLUXIONIBUS ARTICULORUM, ANGINA, ASCITE-
HÆMOPTYSI Id. Ib. p. m. 53. seq. &c.

§. VI. Conducit in PARALYSI, MORBILLIS &
VARIOLIS Conf. Dolæum p. m. 36. & Eruditiss. Dn. D. G.
Francum p. m. 78. corpus ad sudorem disponendo In
D SCOR-

SCORBUTO tam in eo qui à salibus fixis & terrestribus
quàm qui à salibus volatilibus oritur, mirum quantum ad-
juvat, motum salium volatilium immodicum refrænando
nimiamque acrimoniam cum sudore auferendo; vires
exerit in doloribus PODAGRICIS, CHIRAGRICIS,
ISCHIADICIS ET ARTHRITICIS Dolæus p. m. 56. it.
DENTIUM & NEPHRITICIS acidi cuspidis infringen-
do & obfuscando, laudatur in ARTHRITIDE VAGA &
SCORBUTICA, ATROPHIA, Dolæus p. m. 58. in
ILIACA PASSIONE & LIENTERIA, motum peristalti-
cum ad tranquillitatem componendo, viasque debitas a-
periendo.

§. VII. HECTICIS, TUSSIENTIBUS & PERI-
PNEUMONICIS prodest, item PHTHISICIS, vid.
Dolæus p. m. 50. ulcera abstergendo balsamumque ac de
novo vigorem addendo, egregie conducit, cum & in pri-
mis διαφύσησιν procreet. In PALPITATIONE CORDIS
subito anxietates sedat Dolæus l. c. p. m. 55. DOLORES
& ROSIONES VENTRICULI it. VOMITUS Dolæus
l. c. p. m. 35. ab heroica hac nostra medicina opprimuntur,
quid in SINGULTU efficiat & quantas ibi possideat vires
& Cl. D. D. Dolæus l. d. p. m. 35. & 47. ac ipse ante qua-
driennium non sine insigni animi admiratione in viro
quodam Hanoviensi reapse expertus sum; Similem exoptatum
effectum observavi in DIARRHOEA immodica,
ubi non modo fluxus sistebatur, verum etiam vires, quæ
in dies magis magisque deficiebant, restaurabantur.

§. VIII. Exc. D. D. Waldschmidius filiolum tri-
mum à prima nativitate langvidum FLUXU ALVI COL-
LIQVATIVO ad marasimum usque extenuatum & pro de-
plorato habitum curavit gr. ii hujus nostræ Theriacæ in
Sirub. Corallor. non neglectis externis confortantibus,
ceu

ceu in Ead. Disp. commemorat. Cap. V. p. m. 13. ac Dolæus p. m. 35. In Dysenteria palmarium est remedium tum ad malignitatem tum fluxionem compescendam ceu felicissimè multoties adhibuisse novi virum de Rep. medica longè meritisimū D. D. G. Francum & Incomparabilem Anatomicum ac Archiatrum D. D. J. C. Brunnerum adde Excell. D. D. Dolæum p. m. 52. quibus omnibus pollicem præmit plurima experientia suffultus Illustris Archiater Elect. Sax. D. P. H. Erndelius. De COLICA PASSIONE Dolæus p. m. 51. & quidem HYSTERICA hoc anno tantum venit, quod tam intra quam etiam extra corpus, inprimis si umbilico superimponatur, assumta Theriaca hæc nostra Cœlestis mirum in modum juvet, cujus rei exemplum in muliere quadam honesta, quæ hysterice passionibus valde erat obnoxia, notum mihi est.

§. IX. Sic D. D. Waldschmid. l. c. cap. V. p. m. 14. seq. eadem Illustrē hysterice, præsertim instantibus & fluentibus mensibus fluxu inordinato debilitantibus eam curavit, ut inordinatæ illæ effervescentiæ sedarentur & vapores acres discuterentur. In EBULLITIONIBUS quibusvis FEBRILIBUS, INQUIETUDINIBUS INFANTUM, in TUSSI CLANGOSA Conf. Ampliff. D. D. Dolæum l. d. p. m. 36. In QVARTANIS SIMPLICIBUS & DUPLICIBUS Dolæus p. 66. In FEBRIBUS TERTIANIS inprimis si maximè Æia volatilia admisceantur & corpus tempore paroxysmi ad sudorem componatur, præmissio Emetico quodam, laudabiliter suas repetita aliquoties prodit vires, FEBRESQVE depellit. Non minus catarrhis obicem ponit. In MORBIS STERILITATIS, Dolæus p. m. 62. PUERPERARUM, contra TORMINA ante & post partum, D. Dolæus l. a. p. m. 36. & 63. in FEBRILACTEA, RETENTIONE SECUNDINARUM, LO-

CHIORUM NIMIO FLUXU, vel etiam eorundem RETARDATIONE; In MENSIVM DEFECTU ac DECOLORATIONE, nec non molestissimo ALBO mulierum FLUORE; it. in EROMANIA seu dicto FURORE UTERINO, Expertiff. D. D. Dolæus l. a. p. m. 64. seq. In PLEURITIDE Dolæus l. c. p. m. 47. & Iſtero Id. p. 65. pariter eſt præſentaneum medicamen in CALCULO RENUM, id quod docet exemplum Nobilis Matronæ ap. Cl. D. D. Waldſchmid. l. a. cap. V. p. m. 14. quod videatur. Ubi ſubnectit exemplum quoddam in PODAGRA.

§. X. Et præfecto tantus eſt uſus præſtantiffimi huius medicamenti, tamq̄ve latè ſeſe extendit ut ſi omnes morbos, quorum fomitem extingvit, nunc quidem recenſere velim, pagellæ hæ non ſufficiant. Quare heic ſubſiſto & ad doſin genuinam deſcribendam propero. Qui ulteriora cupit, adeat Celeberrimos præcticos, qui de his copioſi ſunt. Inprimis autem legi merentur Quercetan. Greiffius, Waldſchmid, Dolæus, Dohren &c. qui ex profeſſo hoc laudabile pharmacum deſcripſerunt.

§. XI. Paucis de eo ita Cl. Waldſchmid. cap. 3. p. m. 7. Morbos deploratos & ferè incurabiles propellit, eſtq̄ve inſtar panacæ, cum vix in tota Rep. Medica dari poſſit medicamentum, quod in tam parva quãtitate tam citò tutò, & minori cum moleſtia operetur, quodq̄ve omnĩ a-
tati, ſexui & complexionĩ conveniat, inq̄ve omnibus morbis præmiſſis præmittendis ſecurè aſſumi & adhiberi poſſit. Et p. ſeq. omnia his comprehendit: Ego ſancte teſtari poſſum, me ejus vires ſemper deprehendiſſe potentes in VENTRICULI LANGVORE, vomitu, anorexia, cholera, fluxu alvi, colica, hystericã paſſione, ſcorbuto, hydrope, melancholia hyponchondriaca, catameniorum fluxu nimio, cu -

culo tam renum quàm vesicæ, podagra, catarrhis & quibusvis defluxionibus, cordis palpitatione, vertigine, apoplexia, memoriæ debilitate, febribus malignis & pestilentialibus, variolis, morbillis, & quibusvis doloribus sive à causa interna, sive externa subortis, quod variis confirmare possum observationibus.

CAPUT VII.

De Dosi.

§. I.

S Medicus fiduciam ægrotantis erga se augere, benevolentiamque, quæ ipsum æger complectitur, sibi conservare cupit, opera strenuo danda est, ut rationem habeat maximam temperamentum, sexus, ætatis, aliarumque circumstantiarum & inprimis naturæ, ne videlicet, si ratio morbi admittat, pulverem præscribat, qui nauseam excitat, si liquidis magis delectatur, aut pilulas siveadeat, si idem præstare potest sive quoddam & leniens electuarium. Sic novi ego teneram mulierculam, quæ, quotiescunque pilulis pro alvo cienda utebatur, non solum, summa cum nausea illas ori ingesfit, verum quoque creberrimi vomitus illas insecuti sunt, ut pilulas integras deglutitas *ava* rejecerit.

§. II. Ut diligenter medicus hoc evitet, allaborandum ipsi est, ut & ejusmodi medicamenta ægris præsertim tenera textura præditis & à medicina multum abhorrentibus propinet, quæ natura optimè ferre potest, quæque in minori dosi assumpta insignes effectus edere magnosque morbos tollere possunt. Ubi profecto nullam medicinam in toto pharmacopolio habemus, de qua hoc dici ve-

re possit, nisi de THERIACA NOSTRA COELESTI, quæ non modo suavitate saporis, verum quoque assumptionis parcitate sese vehementer commendat. Illa enim est, quæ non ad integros scrupulos, ut pilulæ, non ad drachmas, ut pulveres, non ad uncias, ut potiunculæ &c. intra corpus assumitur, sed ascendit dosis ejus à dimidio grano, quæ dosis recens natis convenit, ad quinque vel etiam sex si contumacitas morbi postulat.

§. III. In dysenteria communis dosis est adulto tria grana vel in forma pilularum propinata, vel in aqua aliqua appropriata, v. gr. aqua Cinnam. Cydon. vel Syr. mastich. vel aliis quibuscunque tandem sive pulveribus sive liquidis appropriatis admisceri potest. Sic v. gr. ubi sudor provocandus est, grana duo, tria ad quatuor, pro ratione morbi in aqua sive Card. bened. sive fumar. addito Spiritus C. C. ꝯ ad ꝯ propinantur, si eundem effectum in forma pulveris desideremus, addi potest ꝯ diaphoretic. gr. v. Cl. Waldschmid. l. c. cap. 4. p. m. 12. ait: *Exhibentur hujus panacea tum preservationis tum curationis gratia grana tria vel quatuor contra quavis venena & omnes affectus antea indicatos in forma pilulari vel in sirupo aliquo. Cujus dosin secure ad ꝯ usque morbo sic exigente augere potes, quod proprio didici exemplo.* Tantâ est præstantiâ cœlestis hæc medicina ut vix ulla detur, cum qua misceri ejusdemque vires exaltari non possint. Quare reliquis omnibus hanc præferendam esse merito dicimus, in eaque post Deum multum spei recuperandæ labefactatæ sanitatis, jure collocamus, ut anchoram salutis pronunciare non dubitemus.

CAPUT VIII.

*De noxa ex ejus abusu vel usu
intempestivo.*

§. I.

Quamquam verò nostrâ hæc medicina cœlestis cœlestem quoque producat effectum, teste quotidiana experientia, ipsique suis stet honos, & gloria sempiterna; nihilominus ipsis in incunabulis experta est commune omnibus novis & recenter inventis fatum. Habuit admiratores suos; habuit & etiamnum habet suos persecutores, osores, rosores. Multis salivam movit, plurimis bilem: Et quod dolendum, quosdam quoque ex præstantissimis Medicis ita obcœcavit invidia, ut quicquid etiam de illius stupendo audiant effectu, adduci tamen non possunt, ut vel in desperatis morbis illa utantur, vel ipsius usum ægris saltim aliorum svasu concedant, ceu habent verba longiore vita dignissimi Archiatri Hassiaci D. D. Waldschmidii l. c. cap. i. in fine p. m. 3. Immo nostræ Theriacæ non ad eo videtur pollicem premere Expertissimus Dan. Ludovici diss. I. p. m. 195. seq. & 202. quod tamen cum grano fatis accipiendum.

§. II. Ita sunt quod mireris, eheu non pauci, qui ipsam non tantum validè imminuere sed & de throno dignitatis deturbare conantur, dum plus detrimenti, quam commodi inferre, quin etiam ipsam mortem procurare prætendunt, ad quod probandum exemplis nituntur, quorum unum à Celeberr. D. D. Dolæo, in Ephem. obs. CXXXVIII. quod egregiè pro ipsis facit, annotatum legimus his verbis: *Tertius excurrit mensis, quo miles à phar-*

*macutices artis studioſo dono accepit grana xij. Theriaca
coeleſtis, qui colica laborans iſta xij. grana unica vice af-
ſumſit, hinc in contumaciſſimam incidit alvi obſtructionem,
ad quam referendam aſſumſit altero die purgans, à quo paſ-
ſus ~~hypercarbarſin~~ lethalem.*

§. III. Verùm enimverò ut commodè reſpondere
ad hæc poſſemus, ad duo inprimis eſt reſpiciendum. Ac
primum quidem ad pondus, deinde ad purgans quod ad
alvum referendam fuit aſſumtum. Quod ad pondus at-
tinet, quantum non videmus à noſtro pondere in cap. 7.
poſito multum declinare, illudque longè excedere, inde
autem non ſequitur Theriacam noſtram coeleſtem è foro
medico eſſe proſcribendam. Etenim quas non creat mo-
leſtias vinum generoſum, ſi eo quis ſe ingurgitaverit ſupra
modum. Nonne corpus vacillare facit & ſpirituum ani-
malium indifferentiam tollit? Nonne dolores excitat ca-
pitis, nonne langvorem & alia innumera mala inducit?
Quis inde concludet, Vinum propterea eſſe malum, & ex
uſu hominum, quo tamen vix carere poſſumus, exclu-
dendum & fugiendum. Diſtingvimus itaque inter uſum le-
gitimum alicujus medicamenti & inter uſum illegitimum;
Porro aliud eſt malum quod per ſe & abſolutè productum
eſt, & aliud quod per accidens.

§. IV. Ita præſtantiſſima medicina, ſi terminos vel
in pondere vel in modo applicandi excedimus, nocet, ve-
rum accidentaliter. Novimus enim illud Hippocratis,
dicentis in aph. 51. ſect. 2. *πάν το πολύ πολέμιον τῇ Φήσει.*
Sic Exc. D. D. Waldſchmid putat poſſe ſumi ad ʒβ l. a. cap.
4. p. m. 12. ubi addit: Nec ponderis hic per ſe fert præjudi-
cium, ſufficere poſſe autumantium Theriacam vulgarem,
& coeleſti illa non opus eſſe, cum vulgariſ, quod notari ve-
lim

limin multis morbis mihi sit suspectus neque mihi solum,
sed & Præceptorum meo Galeno narranti l. de Theriaca ad
Pisonem: Puerum ex vulgaris theriacæ assumptione eadem
adhuc nocte obiisse. Add. Hächstett obss.

§. V. Quod ipsum purgans concernit, existima-
mus eo potius inductam fuisse mortem, quandoquidem
motum intestinum adauxit, glandulas excretorias nimis
irritando & vellicando hypercatharsin insequentem lethala-
lem procreavit. Quod si hoc Theriacæ absolutè & ἀ-
πλῶς adscriberemus, injustissimi erga ipsam essemus.
Nec est, quod illam infamet plurium diversorumque in-
gredientium copia atque farrago, quando potius chaos
aliquod, rudem indigestamque molem vocitare audent,
huic enim objectioni post summum Virum Casp. Hoff-
mannum de medic. officin. & Immortales rei Medicæ
Duum Viros J. H. Meibom. ac Thom. Bartholin. in dissert.
de Theriaca egregiè ivit obviam Celeberr. D. D. G. Fran-
cus in sæpe laudata Epistola ad me p. m. 75. seqq.

Heic ergo nunc substitimus.

Benedicat autem divina benignitas, à qua omnia
bona descendunt, Cœlesti huic nostræ medicinæ,
ut ægri vires ejus nobilissimas exoptatissimumque
effectum experiantur, atque agnoscant, quanta tua
Archiater animarum nostrarum sit bonitas, quanta
clementia, tibi que propterea gratias agant, quas
debent maximas, teque in sempiterna secula
collaudent atque concelebrent
nobiscum.

GEORGIUS FRANCUS,
 EXPERIENTISSIMO VIRO,
 DN. JO. DIETER. HOFFSTADIO,
 MED. CANDIDATO CONDIGNO,
 AMICO A MULTIS ANNIS MELLITO
 S. P. D.

Cic. de. Fin.
 l. 2. c. 8



Um Judio disertissimi Romu-
 lidum rudem esse omnino in Poe-
 tis, aut certissima sit segnitia,
 aut fastidii delicatissimi; ideo
 subinde labra a teneris unguiculis prolui-
 mus e fonte istorum caballino. De multife-

Lucret. V. 28.

ris fabularum plaustris saltem banc unam promamus, ubi
 — — Tripectora tergemini vis GERYONAI
 tam affabre concinneque adumbratur, ut heic Ἰπιδάδ
 audiat, ibi τριάρματ, τριλόφ illic, alibi ter amplus,
 rursus formæ triplicis. Videlicet egregio hoc commento
 vel trium Insularum Hispanicarum imperium: Vel trium
 ὀμοκλήτων fratrum ὀμοψυχίας: Vel denique Trifulci fulminis
 tergemina vim, urentem nempe terebrantem ac discutien-
 tem fabularum involucris, tanquam sparario obvallarunt
 blandissimo.

Pace sacrorum Vatum rem ad forum protrabamus Me-
 dicum, ibi est verus GERTON, sive Rex trium regnorum,
 quæ vulgari verbo VEGETABILIVM, MINERALIVM ANI-
 MALIVMque nomine veniunt. Hæc trilix sunt lorica, hæc
 as triplex circa Medentium pectora! Hæc scaturiunt fontes
 tergemini, veluti Permessidos unda, DIÆTETICVS sc.
 CHIRVURGICVS atque PHARMACEVTICVS! Hi arcto
 federe sunt juncti, nexuque indissolubili Medicum, velut
 alterum GERTONA, constrinxerunt. De hoc apposite

XIII. 201. Silius Italicus:

fac-

Monstrum Geryones immane tricorporis, —
Cui tres in pugna dextræ varia arma gerebant:
Una ignes sævos; ast altera pone sagittas
Fundebat, validam torquebat tertia cornum;
Atque uno diversa dabat tria vulnera nisu.

*Simillime Medicus e triplice armamentario, nempe e culina
ac penaria cella, e myropolio sive narthecio, denique e ton-
strina sive balneario instructus probe compareat, atque cly-
peatus oppido*

Morborum omne genus, quorum si nomina quæras, *Joven. X. 219.*
Promptius expediam, quot amaverit Hippia mæchos,
Quot Themison ægros auctumno occiderit uno,
Et eminus fuget, Et cominus feriat. TRIA porro ista OR-
GANA amice conspirant, ac Gratiarum ad instar manibus
nexarum implicantur,

Columbatimque labra conferunt labris;
ut Cn. MATII, hominis eruditi, judice Agellio, in Mimiam-
bis mea faciam. Eo minus mirandum, quod qui uno, alte-
rove excellit, facilius ad totam possit pervenire Medicinam. *XX. N. A. 9.*
Ita multos numeramus CHIRURGOS, qui in arte sua ita pro-
fecerunt; ut Doctoris axiomata sustinuerint: Et e contra
multos Medicos, qui $\chi\epsilon\alpha\gamma\epsilon\gamma\upsilon\mu\acute{\alpha}$ solide literarum consignarint
monumentis. Ita multi MEDICI ad Pharmaceutices stu-
dium gnæviter contulerunt operam: Ac multi Pharmacopæi
ingenii sagacitate ad solum Doctorum spectabile feliciter ad-
scenderunt. Habemus JOANNEM ZWELFFERVM e Pala-
tinatu Superiori, primo Pharmacopæum, dein Medicum
Viennensem clarissimum Et scriptis famaque super atbera
notum. Prostat Acutissimi Et Πολύγυρτος HENRICI SCRE-
TÆ a ZAVORZIZ, Amici, dum viveret, honoratissimi exem-
plum, qui e Pharmacopæo evasit Medicus Scaphusiensium fe-
licissimus, itidemque elimatis scriptis famigerabilis. Vivit
ad huc CL.™™ atque Expertissimus Dn. D. JOH. PHIL. GIES-

WEIN, olim Pharmacopæus Gieffensis præstantissimus, hodie
vero Archiater Hassiacus Butzbaci, quem gnaritas in arte
exasciata & suus Hodegus Medicus jure meritoque nobilitat.
Nondum annus labitur, ubi in vicina Torgavia beate ad bea-
tos excessit Doctissimus Physicus Ord. D. D. ZACHARIAS
NEUCRANTZ, olim Artis pharmaceuticæ Cultor non vanus.
Ipse doctissimus Fridericus GREIFFIVS non solum inter
XXXV. Competitores Doctoratus Philosophici primum obti-
nuit locum; Sed cum deinceps in eo esset, ut honores Doctoris

Mercklin. in
Linden. Ren.
p. 306.

Medici ambiret, inter ipsam apparatus, ex voluntate Pa-
rentis, sententiam mutavit, curamque Pharmacopææ suscep-
sit. Quin immo in Saxonia nostra interdum Pharmacopæos
simul esse posse Doctores Medicinæ pronum est ex DIVI AV-
GVSTI Elect. Saxon. Verordnung beyder Universitäten f. m.
412. ubi expressis verbis ita: So wollen wir auch / daß die Ap-
otheker / so nicht selbst Doctores in Medicina sind und ihre
Gefellen / so viel die Materialien und Verfertigung der Recepten
anlangt / dergestalt an die Medicos gewiesen werden &c.

Mercklin. l. a.
p. 525.

Promam tandem unicum ex ITALIA exemplum JO. BAPTI-
STÆ CORTESII, vastoram doctorumque voluminum Condi-
toris eximit, qui in pueritia baritonforiam & balneatoriam
didicit artem, eamque in adultam usque exercuit aetatem in
Xenodochio patrio: Ibi horis ab officio ordinario surrepti-
tius summo animi fervore Grammaticam primum, dein Phi-
losophiæ studia tractavit, brevique adeo profecit, ut Assisten-
tis munus in eodem vovnoque accepit. Tunc vero in Me-
dicina laurum Doctoralem impetravit, ac paullo post in Ly-
cæo patrio Anatomem & Chirurgiam publice cum applausu
docuit per XV. annos. Dein Messinæ denuo Chirurgiæ pro-
fessionem ad XXXV. annos sustinuit, accepto interea etiam
Comitis axiomate. Tandem Bononiam rediit Professor decla-
ratus publicus, ibique aetatis suæ anno LXXXVI; Christi vero
elo Inc XXXIV. obiit.

Quis

*Q*uis ergo **TIBI, PRÆCELLENTISSIME DNE.**
H OFFSTADI, Medicina Candidate præsignis, vi-
tio vertet, quod a pluribus annis non inglorius
artem colueris Pharmaceuticam, & Philo-
chemicus exstiteris, præstabilis; nunc vero studiis Philosophicis
imbutus, εγχειρήσει Anatomica exacte instructus, immora-
tus studiis Physiologicis, Pathologicis ac Therapeuticis, nec
infeliciter in praxi jam versatus, ad culmen honorum Me-
dicorum adpires? Macete hoc Tuo ardore, ita enim poteris
ἢ κεφάλῃ τὸν ἔρανον ἱσπάζσων, ut Synesii verbis utar. Exauge
animum Tuum, & dibapto Doctoreo exornatus non tantum
incepta iter ad magis ardua, sed & gloriose grassare ad Ar-
tis incrementa maxima. Nil enim tam alte natura colloca-
vit, quo virtus non eniti possit. Verisimum est illud Euripideum:

Πόνος γὰρ εὐκλείας πατήρ.
Labor enim bonæ famæ pater est.

Alterumque Critia:

Μοχθεῖν ἀνάγκη τῆς θελονίας εὐτυχεῖν
Necessum est ut laborent, qui volunt feliciter agere.

Probasti hæcenus nobis scientiam Tuam non in compositis, &
omnium calculum æbum meritisimo Tuo obtinuisti. Nec
est, quod invidiorum metuas malivolentiam. Recte Dionysius
ap. J. Stobæum Serm. XXXVI. f. m. 233.

Ἀεὶ τὰ σεμνὰ πάντα κείληται Φθόρον.
Semper omnia præcellentia comitem habent invidiam.

Bene vale. Scribo ἄς τάχις αε μουσεο Vitemberga V. Eid.
Januar. clo lcc XCI.

Clare Machaoniis ausis, Phœbea propago,
 Jam dudum egregiis annumerate viris,
 HOFSTADI celebrande, modum dum ponere morti
 Scis, ut ab arbitrio stent quasi fata tuo,
 Non Phœbo satis est deductum sidere lumen,
 Et radios placido composuisse sinu;
 Ad tua fulgentes submittit lumina currus,
 Ardentesque tibi subjicit ille comas.
 Langvet, & ambiguum rigidus percurrit olympum,
 Te splendente timens exeruisse caput,
 Dum tua nunc calidis cœli mens ignibus ultro
 Fulget, & aeterno lumine tota micat.
 Ingeniū hoc opus est, cœlique parentis imago,
 Quæ superos æquas conditione Deos.
 In cunctis natura favet, quæ sidera liquit,
 Et tibi, quæ reliquis sæpe negata, dedit.
 Ordinis inversi miramur tempora, mente
 HOFSTADIUS cœlo frigidiorē calet.
 Nunc tamen omissos rediit deferre calores
 Phœbus, & ardenti laxat ab ore jubar,
 Ut te sub Magni spectet tutamine Franci
 Insolitum Divæ restituisse decus.

JO. GOTHOFREDUS BERGER, D.
 ANAT. & BOT. P. P. WITENB.

HOFFSTADIUM geminā quod Numen forte beārit,
 Et Medicus simul & Pharmacopœus erit.
 Lator, te finxit per se Natura sagacem
 Majus ut absolvas, dignus honoris opus.
 Ne consiste via, quæ te trahit ardor in ista
 Incepto studio perge, Machaon eris.

Hæc gratulabundus apponit
 G. J. WOLFART, D. CONSIL. & ARCHIAT.
 HANOV, *Ad*

Ad

CLARISS. & EXPERIENTISS. D. CANDIDATUM.

Theriacæ coelestis opus componere nosti,
Quis te id pro cathedræ posse docere neget?
Et quia fida paras medicamina pluribus annis,
Quæ Sanos agris restituere dies;
Nunc etiam Medicus scrutaris fedulus artes,
Judice me, gemino nomine Doctor eris.

f.

NICOLAUS GÜRTLERUS, S. Theol. D.
Ejusd. & liter. human. in Illustri Scholâ
Hannov. Profess. Ord.

O Mansisset homo Coelesti in Imagine gaudens!
Non opus insigni, quam Medicina docet,
Theriacam Cœli curâ componere & arte.
Ast lapsus noster quarere cogit eam,
Ut cunctos tollat, qui vexant, corpora, morbos.
Quam jam dum prodis, prospera cuncta precor.

Amicæ gratulationis
ergo apposuit

F. M. CRANZ. M. DOCT.

Cœlitus quondam Medicina venit!
Cœlitus nobis reparat salutem:
Cœlitus, quicquid Medicus patrabit,
Scandat oportet.
Semper haud est in Medico levare
Corpus ægrotum, dare membra sana;
Nam eadâ interdum malè constitutum
Plus valet arte.

Illa **COELESTIS** Medicina nobis
Quam refers **HOFFSTATT**, Meditrinæ Alumæe
Impigen, magnam decus artis, illa est
Omnium ad instar.

Phoc-

178
Phœbus ætèrnum TIBI, Candidate,
Nomen, & laudes quoqve pollicetur:
Et dabit Gallos Epidauri Honori
Plurimus æger.

Nobilissimo Dn. Cand. Respond. Dn. JO. DIETERICO
HOFFSTADIO, Amico & Convictori suo singulari
amore colendo hoc ènνικτων gratulabundus
accinere debuit

GEORGIUS FRIDERICUS FRANCUS,
Argent. M. Cand.

J691

F828 d

Cum das celesti Cœlestia Pharmaca scripto
Quæ mentem pariter ventriculumqve levant.
Pharmacotheca Tibi duplex recluditur, illam
Hanovæ, hanc cerebro more Biantis habes.
Quàm benè conveniunt Diu junxisse Minervam,
Consiliisq; breves addere posse manus
Tu populo Pean, tu Pharmacopola, quid inde?
Pharmacôn & spirans Pharmacotheca illis.

L. Mq; P.

PAULUS Hoffmann /

Med. Cand.

Quid possit CLARUS generosò HOFSTADIUS ausu,
Post bene res gestas exitus iste probat.
Nimirum insolitum lapsi videre laborem
Jam plures menses, quos abiisse juvat.
At nunc promeritum virtute, labore coronam
Præmiaqve, ô felix! ecce! dat una dies.
Vive igitur, multumqve juva medicamine fessos,
Commoda, VIR CELEBRIS, multa fer arte Tua.

Viro Clarissimo, Experientissimo,
DN. JOHANNI DIETERICO HOFFSTADIO,
Doctôris insignia capessenti honoris ergo
posuit

J. D. CRAMERUS, Th. St.

✽(o)✽